

Causa 4.
Phæn.

VII. Quemadmodum autem in continuata serie plurimum vesicarum æqualium, infima dilatatione sui per flatum receptum factâ pondus appensum sibi aliquousque attollit; ita eadem, intuitu proximè superioris vesicæ, non agentis aut adjuvantis sed patientis potius rationem habet, utpote unâ cum pondere porrò sublevanda. Secunda igitur huic primæ supposita æqualis non poterit plus allevare ponderis quàm ipsa sustulerat, sed sublevationi primæ superaddet solùm sublevationem ejusdem ponderis æqualem; ita ut altitudo quidem sive spatium elevationis geminetur per applicationem duarum vesicarum in eadem serie, pariterque quadruplicetur in serie quatuor talium &c. ipsa tamen potentia inde nihil multiplicetur. At enimverò cùm in vectis aut trochlearum applicatione necessariò spatium elevati ponderis tantò semper evadat minus, quantò majus est brachium vectis alterum cui vis movens adjungitur, aut quantò plures sunt trochlearum funiculi; fit inde necessariò, ut e. g. series quatuor vesicarum, quæ aliàs ad quadruplam altitudinem elevaret pondus immediatè sibi alligatum, idem non nisi ad simplam attollat, si mediante trochlea quatuor funiculorum, aut mediante vecte, cujus unum crus altero fit quadruplo longius, agere necessum habeat.

Causa 2. ac
3. Phæn.

Causa 6.
Phæn.

VIII. Quod si verò diversæ series, sive simplicium sive conjunctarum vesicarum æqualium, eidem ponderi admoveantur, cùm una series tantundem valeat quantum altera, tantò majus esse potest attollendum pondus, quantò plures fuerint illarum series se invicem totuplicatis viribus adjuvantes. Nullum igitur est dubium, quin, si vesica una, aut plurimum una series, unius hominis flatu possit elevare ad certam altitudinem pondo 50, octo v. g. ejusmodi vesicæ sive series æquales octuplum etiam pondus, h. e. 400. pondo allevant; ita ut datâ quantumvis grandi mole, facile sit supputare numerum vesicarum, aut serierum, hominumque has inflantium, qui amoliendæ isti mediante machinamento num. IV.